

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1828

**Auteur(s) :** Robert fils Erneis [particulier]

**Bénéficiaire(s) :** Saint-André-sur-Orne, Saint-Étienne de Fontenay (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1217

**Action juridique :** règlement conflit

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert fils d'Erneis, neveu de Raoul Taisson, notifie le règlement devant l'évêque de Bayeux, Robert des Ablèges, du différend qui l'opposait à l'abbé Alexandre et aux moines de Fontenay sur les dîmes de forêts qui ne sont pas précisément nommées dans les chartes de ses ancêtres.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

a. Piolin Paul, Sainte-marthe Denis de, *Gallia Christiana in provincias ecclesiasticas distributa, t. XI*, Paris, Palmé, 1874, Instrumenta ecclesiae Bajocensis, n° XXXIX, col. 96-98.

Texte établi d'après a

Universis Christi fidelibus ad quos præsens scriptum pervenerit, Robertus filius Erneisii, nepos Radulphi Taxonis filii Jordani Taxonis, perpetuam in Domino salutem et pacem. Noveritis quod cum mota esset controversia et diu fuisse ventilata coram venerabili patre nostro Roberto de Ablegiis Bajoc. episcopo, tanquam judice ordinario inter me ex parte una, et abbatem Alexandrum et monachos de Fontaneto ex parte altera, super decimis quorumdam nemorum quæ non sunt in chartis antecessorum meorum nominatim expressa, et super rebus aliis, tandem mediante Dei gratia quæ mentes hominum mutat quando vult et quomodo vult, tota contrarietas illa hunc finem sortita est : videlicet quod ego Robertus concedo prædictis monachis bona fide et confirmo quidquid continetur in charta quam habent de antecessore meo bonæ memoriæ Roberto filio Erneisi secundo, quæ crucibus est signata secundum antiquam consuetudinem, et habet hunc tenorem : Omnibus sanctæ matris ecclesiæ catholicis filiis de salute animæ suæ sollicitis. Expedit ad ablutionem peccatorum suorum et emendationem vite loca sancta venerari et eleemosynis operam dare, ut per temporalia bona quæ sibi subtrahunt, promereantur gaudia æterna quæ nunquam deficiunt : felici enim commercio ditatur, cui pro terrenis cœlestia, pro perituriis sine fine mansura restituuntur. Hujus rei veritate cognita, ego Robertus filius Erneisi, filii Radulfi Andegavensis et Alpaidis, et filius Hacinsæ sororis antiqui Fulconis de Alnon, et nepos Radulfi Taxonis, qui fuit frater patris mei Erneisi, et filius Radulfi Andegavensis et Alpaidis, concedo huic ecclesiæ Fontanetensi unum molendinum juxta aëdificia ecclesiastica, quod Robertus pater meus ad victum unius monachi dedit huic ipsi ecclesiæ et monachis tunc temporis ibidem præsentibus et futuris, in die qua societatem illorum recepit. In ea quoque die statuit et confirmavit quod ubicumque moreretur, ad istam ecclesiam afferretur, et sepeliretur : perfecit autem eleemosynam pro salute animæ suæ et uxoris suæ Hacinsæ. Eodem vero patre meo in Anglia occiso, et sicut pepergerat jussu Willelmi regis et executione Radulphi filii Erneisi inde allato, atque in cimeterio istius ecclesiæ sepulto, et etiam prædicto Erneisio qui antea mortuus fuerat a cimeterio sancti Martini sublatu, et in loco isto juxta patrem meum honorifice posito ; consilio et nutu prædicti regis Willelmi et Mathildis reginæ, et etiam optimatum atque prudentum hominum patris mei, præscripta Hacinsa mater mea, et jam dictus Radulfus filius Erneisi dederunt huic ecclesiæ sancti Stephani protomartyris . . . . .

etc. . . . . Ego Robertus qui possessiones paternas hereditario jure possideo et Gersendis uxor mea filia Roberti Marmionis, omnia ista quæ prædicta sunt firmiter concedimus, irrevocabiliter confirmamus, adjicimus quoque benefacere huic ecclesiæ, atque damus . . . etc. . . Hoc eodem modo tribuimus ecclesiam sanctæ Mariæ de Culay et omnes decimas atque consuetudines illius et omnem terram Roberti sacerdotis filii Hugonis presbyteri. terramque ipsam facimus liberam et quietam ab omnibus servitiis, etc. Hoc vero facimus, deprecante et consulente Radulpho filio Erneisi patruo meo qui aviam meam matrem suam Hacinsam sororem Fulconis de Alnon, a cimeterio ecclesiæ de Culay in quo sepulta fuerat, sublatam ad abbatiam istam afferri, et juxta Erneisium avum meum fecit sepeliri. Adhuc etiam donamus huic ecclesiæ, etc. . . . Hanc chartam ego Robertus filius Erneisi, sextus a Roberto filio Erneisi primo, nepos Radulphi Taxonis filii Jordani Taxonis, ratam habeo modis omnibus et acceptam. Præterea concedo eis et confirmo capellam sancti Georgii de Culay, quam habent de donatione memorati Roberti filii Erneisi secundi. Concedo etiam eis capellam sancti Jacobi de Verreriis quam habent de donatione Roberti filii Erneisi tertii, qui occisus fuit apud Audreium. Concedo etiam et confirmo quatuordecim acras terræ, quas dedit eis avus meus Robertus filius Erneisi quartus, quæ sitæ sunt apud Fontanetum, etc. . . . Concedo etiam eis et confirmo de donatione patris mei laudabilis memoriæ Roberti filii Erneisi quinti, in territorio de Barnevilla acram sancti Richerii, et in territorio de Fontaneto tres acras terræ datas pro anima matris suæ Rohasiæ de Corceio . . . Item in Anglia de donatione ejusdem ecclesias de Wellis et de Warham cum terris et decimis, et decimam totius dominii mei de Hamnygebi . . . . Ista omnia sicut bene et rationabiliter donata sunt, et omnes eleemosynas et possessiones monachorum de Fontaneto, quas habent de feodis meis ubicunque sint, in ecclesiis et decimis, in hominibus et terris, in aquis et molendinis, in bosco et in plano, et rebus aliis, ego Robertus filius Erneisi sextus, nepos Radulphi Taxonis, filii Jordani Taxonis, concedo sæpe dictis monachis de Fontaneto bona fide et sine ulla cavillatione, et volo ut possideant et teneant bene et pacifice, honorifice et quiete. Et ut hæc concessio mea rata et stabilis perseveret in posterum, ego eam præsentis scripti testimonio et sigilli mei novi valitura in perpetuum appensione confirmo. Actum anno gratiæ 1217.